

G 2

15 280

Ced

Sammelband III

10.

EPICEDION
HONESTISSIMÆ AT-
QVE OMNI MATRONALI VIR-
TVTE PRÆDITÆ FOEMINÆ, VIRI
reuerendi & Oratoris Sacri, et facūdissimi
D. PHILIPPI VVAGNERI, &c.
coniugis dilectissimæ.

Scriptum

A

Iohanne Maiore. D.



Dresdæ. 1571.

[43007]

WEGEN CICERO
HOMERUS ET SENECA
SIC VITIUM QUITA
CITRINUM TIBI ET
TIBI ET TIBI
TIBI ET TIBI
TIBI ET TIBI
TIBI ET TIBI

C. JULIUS CAESAR

EPICEDION
HONESTISSIMÆ AT-
QVE OMNI MATRONALI VIR-
TVTE PRÆDITÆ FOEMINÆ, VIRI
reuerendi & Oratoris Sacri, et facūdissimi
D. PHILIPPI VVAGNERI, &c.
coniugis dilectissimæ.

Non casu veniunt & mas, & fæmina in vnum,
Sanguinis & vinclum vult Deus esse pium.
Cum lex ergo homines Sacra ad iuga cogit amoris,
Mens est in geminis vna, fit vna caro.
Altera pars cum raptæ nece est, pars altera mæret,
Cordis & ad partem cordis anhelat amor.
Hic amor est testis post mortem viuere mentes,
In rem quæ nihil est, non amor esse potest.
Ergo dum raptæ grauiter pro coniuge mæres
O verbi interpres docte PHILIPPE sacri:
Res eadem luctum facit, & solatia luctus,
Vulnus & ex uno fonte, salusq; venit.
Sentis morte rapi, tamen & scis viuere eandem,
Labe mori, & meritis viuere Christe tuis
Hac moriente doles, gaudes viuente, tibiq;
Et viuentis inest & morientis amor.
Vim pietas habet hanc, & imago consona morum,
Et pudor in gestu, mente pudicitia.

Forma, nisi virtus ad sit, sine mente figura est,
Vxor si qua pia est, semper amata viro est,
Semina dant morum natis cum sanguine patres,
Ex ipsa virtus indole semen habet.
Quæsturam pater obtinuit, quâ nomina notæ
Dant yrbi ad nubes ædita Saxa cauas
Hic primas auras hausit, CATHERINAq; dici
Maluit, vt sacro flumine mersa fuit.
Ad studium recti sua quædam inductio mentis,
Egit eam, & sine vi lex fuit ipsa sibi.
Ergo pudore suo primum, dehinc voce parentum.
Munita, est amplum laudis adepta decus.
His super accensus donis, verboq; parentis
Ætherei, iungis hanc tibi lege thori.
Hic ubi mons venis argenti clarus, & Annæ
Nomen habens, sensit te sacra verba loqui
Quæ tibi dicendi sit vis, auditq;, stupetq;
Princeps, & dictis tota theatra fauent.
Sed tibi fæminei generis sex pignora in auras
Ædidit, & sexu de meliore duo.
Tres natæ superant, atq; vnica mascula proles
Quas grauis amissæ cura parentis habet.
His cum lacte suo pietatem infudit, vt huius
Visa domus fuerit concio parua Dei.
Ut Venerem in concha stantem depinxit Apelles,
Sic stetit in casta castior ipsa domo.

Ad

*Ad rem sic attenta fuit, ne parcior æquo,
Et nec plus iusto largior esset opum.
Auxit ope afflictos, stipis ære leuauit egentes
Et vita sanctas est imitata nurus.
Non virtutum ymbras, sed signa expressa tenebat,
Quæ menti accedit Lux & imago patris.
Flaminis & vinclo sibi iunxit, & æmula fecit
Corda sibi, & sedes hæc dedit esse suas.
Nixa fida, Christi meritis, acceptaq; patri
Æthereo, hunc dixit per sua vota patrem.
Sæpe viri curas, ac pro pietate laborem
Moribus & gratis lenijt officijs.
Æqui animi specimen dedit omni tempore morbi
Sustinuitq; annos bis duo pressa moram.
Absentisq; viri peregrè, sobolisq; salutem
Commisit curæ, præsidioq; Dei.
Inter vota animam dedit, & nunc viscera terris.
Expectant vitæ munera grata nouæ.
Non poterat melius simulacrum linquere quam quod
Pinxit per mores in pia corda viri.
Hoc curam amissæ memorem conseruat, & iste
Affectionis signum est, viuere in arce poli.
Cum sit spes vitæ exuuijs, mens famaq; viuunt
Hanc abyssè parum, non obijisse puta.
Quare conceptum depone PHILIPP E dolorem,
Lædit enim nimius tegq; Deumq; dolor.*

Spes

Spes reditus, luctum discessus, lenit, & aufert
Tunc pius est luctus, si moderatus erit.
In vita gerimus morbos, in morte salutem,
Vita igitur mors est, morsq; salutis iter.
Collige te, praestesq; virum virtute, ferendum est
Æquo animo, quod lex omnibus vna tulit
Non tu præcipuum tibi sortem exposce nec illam
Communem, placido pectore ferre nega.
Praefertim cum mors non sit renuenda, sed æquè
Optanda, ærumnis si dabit ipsa modum.
Viuere non potuit semper tecum ipsa, sed ægram
Si tamen & tecum viuere forte velis
Ne quæso ipse locū inuideas, quo iam ipsa recepta est,
Et quo tu recipi post tua fata cupis.

Inscriptio tumuli.

Me VVolckensteinum tulit, Annæberga Philippo
VVagnero iunxit, Dresda recondit humi.
Iusta fide, mortem vici, & post funera viuo,
Viue fide, & victor tu quoq; mortis eris.

M. D. LXXI.

3
4.4018

ULB Halle
002 717 190

3



TA 40 C

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



10.

EPI CEDION
HONESTISSIMÆ AT-
QVE OMNI MATRONALI VIR-
TVTE PRÆDITÆ FOEMINÆ, VIRI
reuerendi & Oratoris Sacri, et facūdissimi
D. PHILIPPI VVAGNERI, &c.
coniugis dilectissimæ.

Scriptum

A

Johanne Maiore. D.



Dresdæ. 1571.

[43020]